

quasi incunabula, à quibus initijs, qui ritus, quæ leges, quæ instituta, quæ tyrannides profectæ fuerint, quàm bellè fucatos quæque res prætextus habuerit, & quo tandem euaserit. Nolite committere vt, cùm tot, ac tam magna sint ante oculos exempla, non saltem aliorum malo moniti profecisse vos non nihil, ac prudentiores facti esse videamini.



SATANÆ STRATA-

GEMATVM

LIBER IIX.



Væ nam esset ad eum quem consiliorum suorum omnium finem sibi Satanas proposuisset, perueniendi via, cùm hætenus disputatum sit, tantum illud superest, vt de ipso harum rerum omnium inuentore, artifice, atque effectore Satana differamus; de quo minimè quidem tam plena historia literis est prodita, quàm curiosa nostra optarent ingenia. Tantum colligere licet, conditum eum fuisse præstantissima quadam natura, & excellentissimis donis ornatum, verùm cùm illis abuteretur ad summam superbiam, de cælo deturbatum, ac præstantissima illa dona iustissimo, ac maximè tremendo Dei iudicio in summam ei conuersa nequitiam,

*Libri octauo
propositum.*

*Diaboli or-
tibus.*